

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Vermond, Charles-Toussaint -  
candidat / Ravenet, Louis-Antoine -  
président. - D.O.M. Positiones  
Anatomicae Et Chirurgicae.**

**1751.**

***Paris : Typis Delaguetta Regiae  
Chirurg. Academiae Typographi  
Cote : ms 2332 n°72***



D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.




---

EX ANATOMIA.



ENITALIUM viri fabricam quis non miratur! Si ex his sanis tot deliciae, tot bona profoliant; quot ex vitiatis dolores, quot morbi oriantur haud obscurum est. De Phimosi & Para-phimosi tantum acturi, solius Colis expositio Anatomica præmittenda videtur.

PENIS partes internæ & externæ: Hæ, cutis, cuticula, quibus Præputium & Frænulum conficiuntur; Membrana illis subjacet



cellularis nec non elastica, rigescenti coli admodum favens. Internas autem constituunt corpora cavernosa, glans, urethra, vasa, glandulae & muscoli.

CORPORA duo cavernosa, externè Syndesmofa seu ligamentosa, internè verò spongiosa, disjunctim ossibus ischii adnata, versùs pubis symphysim, cui mediante Vesalii ligamento connectuntur, ad glandem usquè conjunctim protenduntur. Ab unione, transversis amborum fibris inter se intricatis, medium observatur septum instar cribri perforatum.

URETHRAE canalis, vesicae collo contiguus, binis instruitur membranis; Inferiori corporum Cavernosorum sulco firmiter inherens, hiat in apice Balani; à Bulbo tantùm Urethra, spongioso gaudens textu glandulis Cowperi Littriique referto, multis interius pertunditur foraminibus humorem stillantibus mucilaginosum.

GLANS sive Balanus, pars Colis extrema, exquisitissimo sensu donatus, epidermide tenui obtectus, cellulosa Urethrae parte conflatur; humore sebaceo, ab interiori Præputii membranâ, superficies lubricatur.

ISCHIO-CAVERNOSI musculi, meritò ab Anatomicis Erectores, dum contrahuntur, venas utrinque premendo, sanguinis refluxui obstant; quo cruore, vasis turgentibus simul ac cellulis, intenditur Mentula. Huic actioni quodque famulantur Bulbo-Cavernosi musculi. Transversos verò eorum accessores tantùm agnoscimus.

PENIS vasa pudenda, ut aiunt, externa & interna nuncupantur. Ab hypogastricis utraque; cutanea tamen à cruralibus procedunt: horum & illorum mutuam demiremur anastomosim; Genitalium hinc partium consensus intimus.

## EX CHIRURGIA.

PRÆPUTIUM æquò brevius aut longius morbis non raro aniam præbet. Si arctius glandem cingat, Phimosim: si denudatam strangulet, Para-phimosim parit. Ad Chirurgum tunc citò confugere gravissimis symptomatibus tenentur ægroti.



**NATURALIS** & accidentalis improprie nuncupatur phimosi: hæc à causis plerumque externis natales habet; à pravâ conformatione producitur alia, ex se raro periculosa.

**GLANDIS**, aut Præputii phlogosis & intumescencia, materiæ sebaceæ corruptela, pruritus, dilacerationes, exulcerationes & calculi, has inter partes detenti, Phimosim benignam; malignam virus cancrum aut venerea lues efficiunt.

Ex definitione innotescit Phimosi, ex causis autem & accidentibus diversa prognosis.

**SI**, venarum sectionibus, diætâ tenui præmissis, medicamenta superduntur emollientia cum anodinis, nonnunquam removebitur Phimosi. Repercutientia, ut noxia prorsus rejicimus.

**INGRAVESCENTIBUS** accidentibus, medicamentis operatio tutior; quæ ut perficiatur, alia aliis, pro Phimoseos specie, anteposenda sunt instrumenta: si scalpro tamen locus sit, idoneum magis herniarium à D. Lapeyronio excogitatum censetur.

**PARTIUM** quandoque cohesio solitæ officit methodo: iteratæ tunc sectiones adhibendæ; ita ut tamen pars utraque non lædatur.

**IN** longiori Præputio, si angustius, quam ut scalpellus intro mittatur, celebranda circumcisio.

**HÆMORRHAGIA**, si quæ sit, deligato decenter vulnere, facile compestitur. Apparatus, ut moris est, fenestratus imponendus: Sursum colis laxè revinciatur. Virus demum & accidentia suis quæque amoveantur remediis.

**QUOD** majora sunt accidentia, eò majori arcenda celeritate: à symptomatibus peior Phimosi Para-phimosi, quam nonnunquam inducere valet depressum ad radicem Balani Præputium, si incautè reducatur Phimosi.

**HIC** Phimoseos causæ & accidentia reposcenda: Cur verò stranguria, inflammatio ingens & sphacelus non raro, cum tarda salus requiritur, Paraphimosim concomitentur, ex morbi naturâ liquet.



4

LEVYS & recentis Para-phimoseos curatio iisdem ac Phimo-  
seos remediis obtinenda : quandoque tamen succedit, si colis in fri-  
gidam demittatur aquam.

HIS incassum adhibitis, ita adaugetur strangulatio ut, ni  
protinus hinc & illinc omnes scalpro secentur habenæ, gangrenâ  
mox corriperetur Mentula.

TUM in Phimosi tum in Para-phimosi, sanescente vulnere, ne  
cutis Balano cohærescat, linamenta medicamentis imbuta inter-  
ponenda.

*Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. LUDO-  
VICO-ANTONIO RAVENET, Artium & Chirur-  
giæ Magistro, tueri conabitur CAROLUS - TUSSANUS  
VERMOND, Parisinus, Artium Liberalium Magister.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Sabati 31<sup>a</sup>. Julii à sesqui-secundâ post meridiem ad  
septimam. Anno Domini 1751.*

P R O A C T U P U B L I C O.

---

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ  
Typographi 1751.